

II. fol. 319. *Commentarius in Cantica V. et N. T. et Symbolum Athanasio tributum*, quem pariter *Ludolpho* adscribere non formido. Ita conspirant omnia cum praecedentibus. Initium facit Canticum *Isaiae: Confitebor tibi domine &c.* Quodvis Canticum preceatione sua stipatur, quarum ultima incipit: *Sancta trinitas atque indivisa unitas omnipotens eterne deus &c.* Ad calcem: *Explicit die martis post martini 1446.*

III. fol. 356. p. 2. Elenchus *Haeticorum* juxta literarum ferriem confectus ad modum *Philastrii* et *Honorii Augustodun.* quibus etiam usus videtur *Nofter.* Initium absque inscriptione: *Quidam Heretici qui de ecclesia recesserunt ex nomine Autorum suorum nuncupantur &c.* Primi sunt *Appellite*, ultimi *Valentiniani*, quos *Postfamen* excipit, in quo inter alia: *Similiter inter quosdam malos begbardos et begins diuerse hereses pullulant.* Unde de Autoris aevo statuas. Liberalior is fuit in multiplicandis *Haeticis*, quem admodum dicti ejus antecessores, qui in quibusdam ex eo emendari possunt; ita de *Cainanis* bene: *quoniam cbain adorant*, ubi in *Bibl. PP. Lugd. T. XX. p. 1039.* prave: *quoniam Cain ode-rant.*

Thecae Codicis interius utrinque adglutinata fuit membrana, cujus una facies continere videtur, quantum adhuc legi potest, Acta pertinentia ad Reformationem Coenobii Virginum *S. Stephani Argentinensis* factam a *Jo-*

*banne de Stemborn* Decret. doctore et Vicario generali *Ruperti Ep. Argentin.* nec non a *Nicolao Lindenstumpff* Licentiate in Decret. et Canonico *S. Thomae Argentin.* commissariis memorati *Ruperti* Episcopi, cui Synodus *Basileensis* ejusmodi reformationem injunxerat. In altera facie clare legitur notitia insinuationis factae superioris instrumenti *Johanni Wernlin* procuratori *Abbatissae* ejusdem coenobii, relicto ejus apographo in manibus *Verene Waldnerin* Canonice ejusdem monasterii. Testes *Conradus Tenger* sacrista chori *S. Stephani* et *Johannes Huter* familiaris *Abbatisse.* Actum A. 1442. *indict. quinta Pontificatus Felicis PP. V. anno II. die 25. mensis Januarii in choro Ecclesie S. Stephani.* Notarius *Leonardus Valck.*

LXXXVI. VI. E. 26.

Codex membraneus lat. Sec. 314 XIV. Folior. nunc 194. f. per duas columnas sat nitide scriptus, et rubricis enotatus, exhibet: I. *Commentarium in Psalmos priores LI.* Thema *Prooemii* est illud II. *Reg. 6. Cumque transcendissent qui portabant archam domini &c.* Initium: *In hac auctoritate determinantur quatuor cause pertinentes ad presentem doctrinam psalmodum &c.* Aevum Scholasticorum haec produnt. Initium Psalmi I. *Beatus vir &c.* In hoc notatur duplex in christo perfectio &c. Finis Psalmi LI. *bonus est dominus sperantibus in se anime querenti illum.* Succincta est *Expositio*, sententiis *PP.* in

in auxilium vocatis, quos inter in Pf. XLVIII. etiam *Bernardum de Considerat. ad Eugen.* citari video. Spatium in fine relictum denotat, *ἄτελον* esse opus, Librariumque in ejus continuatione, nescio qua de causa, adhaesisse.

II. fol. 135. sequitur *Commentarius in Lamentationes Jeremie uel trenos.* Initium: *Est tempus flendi et est tempus ridendi. eccles. 3. Sicut dicit Jero. super uerbum tempus flendi fuit iudeis euntibus in captiuitatem propter &c. Finis: et ne ultra memineris iniquitatis nostrae.* Confer *Cod. CIV. et CV.*

III. fol. 162. *Commentarius in Librum Sapientiae* hoc solo Titulo: *Prologus Sapientie.* Incipit a loco *Ecclesiastici c. 43. Uide arcum et benedic &c. Ex hiis uerbis primo monetur amans notitia in sacris litteris. Secundo innuitur quod eius noticia est nobis possibilis &c. Sed mutilus est, et desinit in expositione C. XV. v. 10. his uerbis: quedam uacua non laboriosa. ut — — —.*

Ejusdem Autoris esse omnia haecenus relata, suadet ipsa commentandi, scribendique ratio. Verum quis ille? *Elyodorum* unum aliquem ignota manus *Codicis* Operimento exterius adscripsit, atque hinc in *Gesneri Biblioth.* legas: *Heliodori super primam quinquagenam* (Psalmorum utique) *in folio manusc. bibl. Imperat.* Verum, si oculi aciem intendas, paullo supra *Elyodorum* illum, fugientibus licet ductibus, deprehendes: *Silleberti* vel *Gileberti do.* (toris) *supra primam quinquagenam psal.*

*Et super Libr. Trenor. et super Libr. sap.* Atque hic se Literatis offert *Gilbertus, Gislebertus* seu *Sillebertus* cognomine *Universalis*, Gallus, aut Anglus, e Diacono *Antissiodorensis* Ecclesiae et Canonico *Lugdun.* consecratus anno 1128. *Londinensis* Episcopus, in quem omnia congruunt. Praeterquam enim, quod in *Necrologio* Eccl. Maj. *Antissiod.* apud *Oudin. T. II. col. 1015.* adpellatur *Veteris et Novi Testamenti Glossator eximius*, extant in pluribus *Bibliothecis*, quarum nomina habes apud *Oudinum cit.* apud *Lelong Bibl. sacrae P. I. post. Ind. p. 744.* apud *Caveum Hist. lit. Vol. II. p. 212.* apud *Tannerum Bibl. Brit. Hib. p. 318.* *Exempla mss.* Expositionis ejus in *Psalterium* et *Trenos.* Atque utinam doctis ejusmodi Viris et placuisset, et placeret in futurum, imitari, quod feliciter coepit magnus *Trithemius*, subpeditare scilicet *initia Codicum* sibi visorum, quo contentione instituta nullus dubiis locus relinqueretur, resque, quod ajunt, non incassum ad dominos clamarent! *Expositionem* quidem *Gilberti in Sapientiam* nullibi speciatim memorari video, sed ut praesentem eidem tribuamus, cum ipse Operum nexus, tum Autorum testimonia evincunt, qui eum *universa* Biblia exposuisse consentiunt. Obiit Vir *Bernardo Claraevall.* amicus intra annos 1134 — 39. Aliam *Trenorum* Expositionem e *Paschasio Rathberto* compilatam sub ejus nomine vide sis in *Indice.*